

QUAESTIO SECUNDA quam non omnes codices habent.

De objecto actus credendi, utrum sit ipsum complexum an res significata per complexum. Est apud quosdam dubium, et tenet Ockam quod universaliter scientiae et opinionis et fidei et cuiuslibet talis assensus obiectum est res significata per partes propositionis sive res significata per complexum, et non ipsum complexum. Hoc probatur multipliciter. Primo, posita sola formatione, demonstrationis est facere scire, sed, posita tali demonstratione, non oportet quod ipsa demonstratio cognoscatur, nec etiam conclusio, nec aliuq̃a praemissa, quia non oportet quod apprehendatur; ergo assensus est respectus rei, et non respectus signi. Secundo sic: species rei vel habitus causat cognitionem rei; ergo multo magis propositio composita ex cognitionibus rei extra causat actum assentiendi rei extra. Tertio sic: propositio in mente et res extra sunt distincta cognoscibilia; ergo distinctis assensibus eis assentitur. Confirmatur, quia ab aeterno non fuerunt propositiones nec complexa, sed tamen Deus. Et tamen, posito quod tu nunc non sedeas, ipse assentit quod tu non sedes. Quarto, in eo quod res est vel non est etc.; ergo oportet quod intelligatur quod res sic se habeat, sed complexum denotat antequam assentitur quod propositio sit vera; ergo primus assensus est respectus rei. Quinto, tunc omnis assensus foret actus reflexus et omnis scientia. Contrarium tenent alii, dicentes quod actus sciendi est ipsa conclusio demonstrationis et articulus actus credendi, quia si scire esset actus sequens, tunc non foret actus veridicus, sed simplex intelligentia. Dubium est de propositione mentali, quam homo dicit dubitando vel opinando, et de consimili, quam dicit afferendo, quomodo differunt, quia in propositionibus vocalibus nulla est differentia. Per obiectum actus credendi non intelligo aliud, nisi illud quod denominatur creditum, et per obiectum actus sciendi illud quod vere dicitur scitum et quia nulla res extra, excepto Deo, proprie lo[183b]quando dicitur esse scita, non enim scio lapidem, sed lapidem esse gravem, vel quod lapis est gravis. Ita quod hoc verbum 'scitur', nec tale participium sicut est 'scitum' vel 'creditum' praedicatur de aliquo incomplexo, sed tantum de complexo, quod quidem complexum vario modo formatur. Et ideo tenetur quod solum complexum est obiectum actus credendi. Tamen videtur pro nunc quod aliquando complexum est creditum per se, ita quod idem assensus est illud cui assentitur scientia et scitum secundum Aristotelem, aliquando complexo credito assentitur per unum aliud complexum, sicut quando aliquod complexum praecedit dubium primo, et postea certum. Et sunt duae notitiae, sicut dico: 'Haec propositio est vera', demonstrata illa quae fuit mihi ante dubia, tamen quando sic dictum est, creditur a me. Ad primum argumentum, non video evidentiam. Si stet in isto, conclusio non est comprehensa, ergo non est scita. Concedo consequentiam, et nego antecedens. Quia conclusio est formata et apprehensa. Dico tamen, sicut dicit Aristoteles in *De memoria et reminiscentia*, capitulo 4, quod homo utitur cognoscendo speciem in memoria pro se, vel pro alia re. Eodem modo quo mens utitur cognitione sua, aliquando pro se, aliquando pro rebus. Unde assentio istis terminis naturaliter acceptis, sed non significative. Ad secundum nego consequentiam, quia assensus non est natus etiam respectu rei extra, sed tantum respectu signi. Ad tertium, verum est, sunt distincta cognoscibilia, et ideo possunt distinctis cognitionibus cognosci, sed non sequitur quin possint una cognitione cognosci. Et ad residua argumenta potest dici cum vacaverit. Finis quaestiunculae imperfectae.